

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Meditationum evangelicarum pars secunda, hoc est:  
Solida, ad discendam & exercendam, ex evangeliis tam  
dominicalibus quam festivalibus Christi & sui-ipsius  
notitiam, informatio**

**Creide, Hartmann**

**Francofurti ad Moenum, 1682**

Dominica XI. post trinitatis

[urn:nbn:de:bsz:31-126164](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126164)

## Dom inica XI. post Trinitatis.

*Evangelium Luc. 18. v. 9. . . 14.*

### EXORDIUM.

**V**enerunt aliquando duæ mulieres meretrices ad Regem Salomonem, afferentes duos infantes, quorum alter vivus, alter mortuus erat, & hunc mater in somnis oppresserat: hærixabantur inter se, utraque puerulum vivum pro se postulante, dicente altera: Filius meus vivit, & filius tuus mortuus est: altera respondente: Non; sed filius tuus mortuus est, meus autem vivit.

Rex, quo litem hanc dirimeret, gladium afferri, eoque vivum infantem in duas partes dividi, & dimidiam partem uni, & dimidiam partem alteri dari iussit. Dixit autem mulier, cujus filius erat vivus ad regem: incaluerunt quippe viscera ejus super filio suo. Obsecro Domine, date illi infantem vivum, & nolite interficere eum: E contrario illa dicebat: nec mihi nec tibi sit, sed dividatur. Hinc Rex colligebat, eam, quæ infantem divisum nolebat, veram matrem esse, eique vivum dare jubebat, 1. Reg. 3. v. 16. seqq.

Hæc mystice scopo nostro applicare possumus.

Christus cœlestis Salomo, sive princeps pacis est. Justificati enim ex fide, pacem habemus ad Deum, per Dominum nostrum Jesum Christum, Rom. 5, 1. Ideo exclamat: Ecce! hic plus quam Salomo, Mat. 12. v. 41. Sicut igitur Salomonem duæ meretrices

accesserunt, cum vivo & mortuo infante, quarum hæc dixit: filius meus vivit, & tuus mortuus est: illa respondit: Non, sed filius tuus mortuus est, meus autem vivit: Sic audimus in prælecto Evangelio, dissimiles duas personas ascendisse in templum, ut orarent, Phariseum videlicet & publicanum. Phariseus fuit hypocrita, per opera legis justificari satagens, cum tamen lex data non sit, quæ possit justificare, Gal. 3. v. 21. Publicanus vero peccata sua agnovit, unice confidens in misericordia Patris cœlestis, & merito filii sui unigeniti, quem nobis proposuit *ἰσχυρῶς* per fidem in sanguine ipsius, Rom. 3. v. 25. hæc fiducia fretus, pectus suam percussit, dicens: Deus, propitius esto mihi peccatori!

Quod si nos hic iudicium ferre debuissimus, procul dubio phariseo palmam in sanctitate dedissemus, qui mirum in modum de bonis suis operibus gloriari scivit: Publicanus vero tantis peccatis oneratus erat, ut attollere oculos ad cœlum minus auderet. Verum cœlestis Salomo, qui non secundum visionem oculorum judicat, neque secundum auditum aurium arguit, Esa. 11. v. 3. sed cor intuetur, 1. Reg. 16. v. 7. & agnoscit omnem operam hominis, Sir. 15. v. 20. ejusmodi iudicium fert, quod Phariseus in peccatis maneat: Publicanus autem in domum suam justificatus descendat, præ illo.

Nos

Nos ad ipsum Evangelium pergentes considerabimus ex eodem:

I. Ἀνθρώπων ἰσχυρίαν sive *notitiam nostri*.

II. Χριστοῦ ἰσχυρίαν, sive *notitiam Christi*.

J. J.

*Exegesis.*

**A** Bominatio Domini est omnis arrogans, ait Salomo, Prov. 16. v. 5. hoc perspicimus in Pharisæo, qui ob animi factum, quo propter opera bona efferebatur, à Domino reprobatus est.

Nos hinc ansam capiemus, ad *notitiam nostri meditantiam*, ubi spectabimus:

I. *Pharisæicam presumptionem*. In seipso enim confidebat, quod esset justus, & adspernabatur cæteros, inquit: Deus, gratias ago tibi, quia non sum, sicut cæteri hominum: raptores, injusti, adulteri, velut etiam hic publicanus.

Tempore Christi inter Judæos tres sectæ erant, videlicet *Pharisæorum, Sadducæorum & Essæorum*. *Pharisæi* homines eruditi erant, qui jactabant, se clavem scientiæ habere, Luc. 11. v. 52. Ideoque aliis se præferrebant, unde etiam Pharisæi, h. e. separati dicebantur.

*Sadducæi* erant Epicuri de grege porci, neque mortuorum resurrectionem, neque Angelos & spiritus credentes, Matth. 22. v. 23. Act. 23. v. 6.

*Essæi* vero boni hortulani & operarii erant in cœlibatu & solitudine degentes, & omnium bonorum communionem habentes. In N. T. nulla eorum mentio fit quamvis à Josepho & aliis Scriptoribus mirifice commendentur.

Inter hos Pharisæi palmam obtinuerunt, utpote qui assidue in scriptis Mosis & Prophetarum versabantur, & in peculiari Col-

legio, quod Hierosolymis habebant, studio-  
sæ juventuti legem Dei interpretabantur.  
Habebant præterea alia quoque exercitia  
quibus corpus affligebant, quibusque cœ-  
lum se promerituros esse, sperabant. Jose-  
phus & Epiphanius memorant, quod noctu  
lapides & spineta capiti pro pulvinari sub-  
straverint, quo justo tempore expergisci &  
devotionem suam habere potuerint.

Hoc exterius *speciem sanctitatis* habuit: sicut & Pharisæus in Evangelio ab omni peccato immunem se de prædicat, adeo operibus suis superbiens, quasi legem Dei perfecte implevisset. Juxta primum enim præceptum profitetur se eum, qui Deum recte agnoscat: juxta secundum eum, qui Deo pro beneficiis suis gratias agat. Juxta tertium, illum, qui templum ingrediatur, ut oret. Juxta quartum, qui magistratui & Sacerdotibus decimas sine fraude largiatur. Juxta quintum & octavum, illum, qui ab injustitia & vindictæ cupiditate alienus sit. Juxta sextum, quod nullus adulter. Juxta septimum nullus raptor, juxta nonum & decimum quod plus fecerit, quam sibi à Deo mandatum sit: jejunare enim se bis in sabbatho, & dare decimas omnium, quæ possideat. Hoc quasi opus supererogationis erat, quod omittere potuisset, nisi devotio eum inflammasset: Judæis enim anniverfarie semel duntaxat jejunium injunctum erat, Levit. 23. v. 27. Fructus quoque & pecora nominatenus expressa erant, de quibus decimas dare jussi sunt, nempe de frugibus, oleo, & vino, Deut. 25. 17. de pomis arborum, bobus & ovibus, Levit. 23. vers. 30. Aliæ res viliores decimis exemptæ erant. Sed Pharisæi sæpius jejunabant, & decimabant mentham,

Q 2 & a-

& anethum, & cuminum, Matth. 23. v. 23. De his etiam hic Phariseus jactat, & ut breviter absolvam: sanctissimus omnium videri vult, q. d. Ego sum, & extra me non est alius amplius, Zeph. 2. v. ult.

Verum quemadmodum tabulae Moſis in utroque latere conſcriptae ſunt, & tam internum, quam externum obſequium requirunt, ut ex toto corde, ex tota anima, & ex tota fortitudine Deum diligant, Deut. 6. v. 5. Sic Chriſtus externis Phariſaei hujus operibus minime contentus eſt, quia fides & dilectio cordis aberant, ſine quibus, omnia quae facimus, licet externa ſpecie optima videantur, ſunt, vel ut æſonans, aut cymbalum tinniens, 1. Cor. 13. v. 1.

*Hic quilibet ſcruetur ſe, annon magnam ſanctitatem & ipſe ſibi imaginatus fuerit, & meliorem ſe aliis eſſe, perſuaſerit?*

Hoc in Papatu vel maxime familiare eſt, ubi ſemper unus Ordo altero melior eſſe cotendit, dum ſuperſtitioſis ſuis operibus plus ſe promereri cenſent, ut non immerito Deus, ut Judaeis olim, iſtis objicere poſſit: Quis requiſivit hæc à manibus veſtris? Eſa. 1. verſ. 12. Et iterum: fruſtra mihi ſerviunt Eſa. 29. v. 4. Matth. 15. v. 8.

Sed miſſis illis, inter nos in ſeipſos occurrunt, qui, modo gravioribus peccatis mortalibus abſtineant, nihil referre putant, ſi ebrietati, imprecationibus, ſcenori aliisque levioribus peccatis ſeſe obſtringant. Hi ſciant, quodlibet peccatum, quamvis viliffimum videatur, æternam mortem promereri, & damnationis reos facere, ex hac ratione, quia adverſus juſtiſſimum Deum comittitur, cujus mandata quocunq; peccato infringuntur. Quicumque totam legem ſervaverit, Jac. 2. v. 10.

Alii in potentia ſua confidunt, & pro-

pter eam plus ſibi, quam plebejis licere arbitrantur, non reputantes ſecum: Deum non accipere perſonas principum, nec cognoſcere divitem coram paupere, Hiob. 34. v. 19. Potius illud ſibi dictum putent: Potentes potenter tormenta patientur, Sap. 6. v. 7.

Alii in tempore aſylum quaerunt, exiſtantes, in bello non omnia ad amuſſum exigenda eſſe, ad exemplum Davidis, 2. Sam. 11. v. 25.

Alii ex ratione juvenutis peccata ſua palliare nituntur, præſertim ipſo Salomone dicente: Latere ergo juvenis in adoleſcentia tua, non obſervantes, quod adjiciat Salomo: & ſcito, quod pro omnibus his adducet te Deus in judicium, Eccl. 11. v. 9.

Sunt, qui eo excuſare ſe volunt, quod hoc vel illud ex ira vel ebrietate admiferint: quaſi vero ira & ebrietas peccata non eſſent, & ita unum peccatum alio excuſari poſſit. Hoc eſt peccata peccatis cumulare, & theſaurizare ſibi iram in die iræ, & revelationis juſti judicii Dei, Rom. 2. 5. & ſic ulterius.

Ita quilibet juſtum ſe reputat, & tamen non eſt, qui faciat bonum, non eſt uſque ad unum, Rom. 3. v. 12. Pſal. 14. v. 1. Quilibet igitur ſeipſum noſcere debet, quod adeo neceſſarium eſt, ut ſine notitia noſtri ad notitiam Dei pertingere non valeamus. Si quis exiſtimat ſe aliquid eſſe, cum nihil ſit, ipſe ſe ſeducit, Gal. 6. v. 3.

II *Publicani confeſſionem.* Stabat enim à longe, nolebat nec oculos ad cœlum levare, ſed percutiebat pectus ſuum dicens: Deus, propitius eſto mihi peccatori! Hæc precatio humilis erat, quæ Deo gratiſſima eſt, Judich. 9. v. 15.

*Hic*

Hic probate, mi Christiane! utrum & ipse coram Deo h. m. te humiliaveris, & in confessione, cordis tui angustias explicaveris, & confessus fueris?

Publicanus debitum suum observavit

1. *Ratione objecti.* Dirigit enim confessionem suam, non ad Mariam, Petrum, Paulum, vel alium Sanctorum demortuum, sed ad Deum; Deus, inquit, propitius esto mihi peccatori!

Idem ab eo discere debemus: Deus enim adhuc hodie est, qui peccata remittit:

1. *Immediate.* Ideo nullo mediatore aut intercessore indigemus, extra Christum, qui unus ille mediator est Dei & hominum, 1. Tim. 2. v. 5. in quo gratificavit nos pater, Eph. 1. v. 6. & remissionem peccatorum promisit, omnibus, qui in eum credunt, Act. 10. v. 43.

Aequum igitur est, ut coram eo nos humiliemus, quando gratiam & remissionem peccatorum consequi volumus. Est enim Dominus Deus misericors, & clemens, patiens, & multae miserationis, Exod. 34. vers. 6. 7.

2. *Mediate.* Quando enim gratiam Dei & remissionem peccatorum impetrare volumus, cum proximo ante in gratiam redeamus oportet, Matth. 5. v. 24. Matth. 6. vers. 14.

Hoc si factum est, coram Confessionario compareamus, velut coram Deo ipso, cum vera animi devotione & contritione, Dei enim vicem gerit, & potestatem habet peccata remittendi, & retinendi, Matth. 18. v. 18. Sic misericordiam consequeris, Prov. 28. 13. Et ex ore ejus audies: Dominus transulit peccatum tuum, 2. Sam. 12. 19.

2. *Ratione delicti,* quod confitetur, inquit: Deus, propitius esto, mihi pecca-

tori! Quo ipso omnium peccatorum suorum confessionem edit.

Idem & nos faciamus. Si dixerimus enim peccatum non habemus, &c. 1. Joh. 1. v. 8. 9. 10. Sed non ore duntaxat fieri debet: verum ex intimâ contritione cordis. In gemiscendum in contritione lumborum, Ezech. 21. v. 6. corpus castigandum in jejuniis, 1. Cor. 9. v. 27. corda scindenda sunt, Joël. 2. v. 13. & caro crucifigenda cum affectibus & concupiscentiis, Gal. 3. 24.

3. *Ratione fundamenti.* Confidit enim unice in misericordiâ Dei, dicens quasi cum Davide: Reminiscere miserationum tuarum Domine, Psal. 25. v. 6.

Hoc refugium nostrum esto, in omnibus calamitatibus & miseriis. Gratiâ enim Dei sumus, quod sumus, 1. Cor. 15. v. 10. miserationes ejus diluculo novæ, Thren. 3. v. 23. *antecedit* nos, quando bonum inchoamus, *comitatur* nos, quando in bono progredimur, *sequitur* nos, quando bonum consummamus. Sine hac facere nihil possumus, Joh. 15. v. 5. Hinc Siracides: Latetur anima vestra in misericordia ejus, Sir. 51. vers. 37. 38.

Si ita confessio nostra facta fuerit, non est quod dubitemus de remissione peccatorum, & gratiâ Dei. Qui verò sine penitentiâ & fide accesserit, ei retenta sunt peccata sua, Joh. 20. v. 23.

III. *Utriusq; intentionem.* Duo enim homines adscenderunt in templum, ut orarent. Phariseus proinde & Publicanus idem habent propositum:

1. *Ratione motus externi.* Adscendunt enim ambo in templum Domini, quod in excelsa monte Moriâ situm erat, ut constat ex 2. Paral. 3. v. 1. eo ipso in loco, ubi Abrahamus filium suum Isaacum sacri-

ficaturus erat, Genes. 22. vers. 2.

2. *Ratione motus interni.* Ambo enim orationem suam fundere volunt, cui fini templum præcipue consecratum erat, juxta illud: Domus mea, domus orationis, Esa. 56. v. 7.

*Hic velim te ipsum probes, mi Christiane! utrum & ipse debitum tuum observaveris: ademptam sacram precandi gratiam accesseris?*

Hoc quilibet verus Christianus curare debet. Quemadmodum enim in templo Hierosolymitano Deus habitaculum suum habuit, quod gloria sua implevit, 1. Reg. 8. v. 10. sic adhuc hodie in Ecclesia habitat, quæ expressè domus Dei vivi propterea appellatur, 1. Tim. 3. 15. Hebr. 3. 16.

Quando domus ædificanda est, *experti architecti* requiruntur: Sic Spiritus sanctus principalis Director est, qui per verbum & sacramenta in toto orbe sibi ecclesiam colligit: Apostoli & omnes fideles ecclesie ministri sunt architecti, 1. Cor. 3. 10.

*Fundamentum*, super quo hæc domus ædificatur, est Christus, 1. Cor. 3. v. 11. firmissima petra, quæ omnibus procellis resistere valet, Matth. 7. v. 25.

*Lignum & lapides*, sunt omnes veri Christiani, 1. Petr. 2. v. 5. hi dolabrâ legis dolandi sunt, quando ad spiritualem hanc machinam idonei esse debent, Os. 6. v. 5.

*Calx & lutum*, quo lapides hi conglutinantur, est unitas Spiritus, quam ob causam pax vinculum dicitur, Eph. 4. 3.

Et quemadmodum in domo, non solum sunt vasa aurea & argentea, sed & lignea & fictilia, 2. Tim. 2. v. 20. Sic etiam in ecclesia sunt varia *χαρίσματα*, quæ Spiritus sanctus distribuit, prout vult, 1. Cor. 12. v. 5. seqq.

*Mensa* in hac domo misericordia stra-

ta est, Psal. 23. v. 5. plena spirituali cibo & potu, Joh. 6. v. 55.

*Tellum Dei protectio* est, Psal. 91. v. 1. Procellæ & imbres sunt variæ tentationes & persecutiones, Psal. 124. v. 1. sed non prevalere possunt adversus hanc domum, quia in petra fundata est, Matth. 7. 24.

*Ostium* est Christus, Spiritus sanctus ostiarius, Joh. 10. v. 3. Fenestræ verbum Dei, per quas domus ecclesie illuminatur, Psal. 119. v. 105.

Hoc ita est *spirituale templum*, & collectio, quam non deserere debemus, Hebr. 10. v. 25. Psal. 27. v. 4.

Hic ad exemplum Pharisei & publicani precibus Deo supplicare debemus. *Quamvis enim Deus ubique presens est*, & preces exaudire potest, sicut Jonam in ventre ceti, Jon. 2. v. 1. Daniele in lacu leonum, Dan. 14. v. 33. Petrum in carcere exaudivit, Act. 12. v. 5. seqq. attamen majori cum successu id fit in ecclesia, ut Christus ipse docet, Matth. 18. v. 19. Luc. 18. v. 2. seqq. Psal. 145. v. 19.

Ibi habitat *Deus pater*, qui audit orationem, idè ad eum omnis caro venit, Pl. 65. vers. 2.

Ibi habitat *Deus filius*, qui dedit semetipsum pro nobis, Tit. 2. v. 14.

Ibi habitat *Deus Spiritus sanctus*, distribuens fructus suos, qui sunt charitas, gaudium, pax, longanimitas, Gal. 5. v. 22.

Idè non diu tardemus, sed queramus Dominum, dum inveniri potest, Esa. 55. 6. & non ejiciet nos foras, Joh. 6. v. 37. sed sanabit infirmitates nostras, Pl. 103. 3. Quantum enim ipse est, tanta est ejus misericordia, Sir. 2. v. ult. neque deest ei potentia, quia potens est facere superabundanter, quam petimus aut intelligimus, Eph. 3. 20.

De

## De Secundo.

**T**Ransibimus nunc ad alteram partem *Χρηστωσιστων*, sive notitiam Domini nostri Jesu Christi contemplaturi. Hic nobis meditandus proponitur:

I. *Tanquam oratorum contemplator.* Quod patet in Pharisæo & Publicano, quorum precationem exactè observat, cernens Pharisæi hypocrisin, & publicani pœnitentiam.

Adhuc hodiè Ecclesia non pura, sed hypocritis & falsis Christianis permixta est, qui habent speciem quidem pietatis, virtutem autem ejus abnegant, 2. Tim. 3. v. 5. Hinc comparatur rosæ inter spinas, Cant. 2. v. 2. vineæ: in quâ uvæ & labruscæ inveniuntur, Esa. 5. v. 2. agro, in quo eriticum & zizania pariter crescunt, Matth. 13. v. 24.

Id Adami æde fuit pius Abel, & fratri-cida Cain, Gen. 4. v. 8. In arca Noæ inter octo animas impius Cham, Gen. 9. 18.

In Ecclesiâ Abrahami fuere pius Isaac & irrisor Ismaël, Gen. 21. v. 10. In Ecclesia Isaaci probus Jacob & infensus Esau, Gen. 22. v. 4. Jacobus inter duodecim filios suos, duos saltem habuit, qui frugi fuerunt, nempe Josephum & Benjamin, Gen. 37. v. 2. seqq.

Eliæ temporibus fideles adeò rari erant, ut Elias se solum superstitem censeret, 1. Reg. 18. v. 19.

Christus Servator duodecim sibi Apostolos elegerat, & tamen unus Diabolus erat, Joh. 6. v. 70.

Hæc omnia Christus explorata sibi habet, & cujusque cor intuetur, hypocritarum & impiorum iter peribit, Psal. 1. v. ult.

etsi enim via eorum complanata est lapidibus: tamen in fine illorum profunditas inferni, Sir. 21. v. 11.

Piorum verò gressus accepti sunt in oculis Dei, quos etiam numerat, Psal. 56. 10. custodiens introitum & exitum eorum, Psal. 122. v. ult.

Propterea ne scandalizentur, neque à zizaniis suffocari se patiantur, sed luceant, sicut luminaria in mundo, in medio nationis pravæ atque pervertæ, Phil. 2. v. 15. *Lilium enim esse inter lilia magnum non est, sed lilium esse inter spinas, hoc verè magnum est*, ut Bernhardus ait.

Hoc nobis exemplo suo commendarunt Noah, præco ille justitiæ, Gen. 7. v. 1. Loth, Gen. 19. v. 22. Hiob, c. 1. v. 1. aliiq;

Insiſte eorum vestigiis, nec acquiesce, si te lactaverint peccatoribus, Prov. 1. v. 10. sed perſiste in pietate tuâ: Veniet aliquando tempus, ubi triticum à paleis, Matth. 3. v. 12. oves ab hædis, & boni à malis segregabuntur, Matth. 25. v. 32. ibi videbimus, quid sit inter justum & injustum, Mal. 3. v. 18. Apoc. 22. v. 11.

II. *Tanquam superborum reprobator.* Hic Pharisæus tanto fastu turgebat, ut ne quidem gratiam Dei imploraret: sed opera sua jactans, cælum sibi ex merito deberi, censeret. Sicut Monachus ille Argentoratensis in agone exclamavit: Domine, redde mihi quod debes!

Verùm opera illa non consistere valent in judicio Dei.

B. Bernhardus, qui multis in sanctitate palmam præripuerat, morti vicinus meritorum suorum obliviscens, dixit: *Perditè vixi, sed meritum meum Jesus Christus est.*

Prior aliquis in Cœnobio Reinhardsbuan-

brunnensi in agone constitutus, ad circumstantes dicebat: *Ab fratres! premit & angustat me totus mundus, omnes creatura mihi sunt adversa.* Fratres consolari ipsum volebant, prætendentes, quod vitæ severitate se omnes superasset: Sed respondebat ille: *Horum nihil coram iudicio Dei subsistit, sed Christus Jesus crucifixus, est testamentum & iustitia mea.*

Ita dilecti! in articulo justificationis, bonis nostris operibus promereri nihil possumus: sed nos ipsos abnegare oportet, & omnia, quæ bene fecimus, cum Paulo prodamnâ & stercore reputare, quo Christum lucrificamus, e jusq; iustitiæ compotes fiamus, quæ non ex lege est, sed per fidem nobis imputatur, Phil. 3. v. 8. Rom. 4. v. 5.

Et quomodo in operibus nostris confidere velimus? Sunt liquidem

1. *Imperfecta*, licet enim aliquid faciamus, tamen non omnia facimus. Qui verò per legem justificari & salvari vult, omnia, quæ in lege scripta sunt, servare debet, fecus enim maledictus est, Deut. 27. v. ult.

2. *Impura*. Volentibus enim facere bonum, malum adjacet, Rom. 7. v. 21. imò omnis iustitia nostra est sicut pannus menstruatus, Esa. 64. v. 6. ideoque mereri iisdem nihil possumus, Apoc. 21. vers. 26. 1. Joh. 3. v. 3.

3. *Aliena*. Non enim sufficientes sumus cogitare aliquid à nobis ipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est, 2. Cor. 3. v. 5. qui operatur in nobis velle & perficere, Phil. 2. v. 13. huicigitur debetur & gloria. Non nobis Domine: Psal. 115. v. 1.

4. *Debita*. Servi enim Dei sumus, creati in Christo Jesu ad bona opera, ut in iis ambulemus, Eph. 2. v. 10. Cum itaque omnia fecerimus, quæ præcepta nobis

sunt, dicamus: Servi inutiles sumus, Luc. 17. vers. 10.

5. *Imparia*. Nulla enim proportio est inter opera nostra & vitam æternam, Existimo quod non condignæ sint passiones, Rom. 8. v. 18.

Ex his perspicimus, quàm vanum sit gloriari in operibus nostris. Nullus enim homo est, qui non peccet, 1. Reg. 8, 18. imò qui delicta intelligat, Psal. 19. v. 13. ideoque quemlibet oportet ad gratiam Dei confluere & orare: Non intres, Domine, in iudicium cum servo tuo, Psal. 143. v. 2. Nostra verò gloriatio in Christo est, qui factus est nobis sapientia à Deo, & iustitia, & sanctificatio, & redemptio, 1. Cor. 1. v. 30. Qui credit in eum non peribit, Joh. 3, 16.

III. *Tanquam verè pœnitentium justificator*. Exemplo est publicanus, qui post actam pœnitentiam, descendit justificatus in domum suam.

Quemadmodum enim peccata ex animo detestatur: ita contrà delectatur pœnitentia peccatoris, ideo dicit, quod gaudium sit in cælo, super uno peccatore pœnitentiam agente, quàm super nonaginta novem iustis, Luc. 15. v. 7.

Per pœnitentiam impetramus remissionem peccatorum, Deus enim bonæ spei fecit filios suos, quoniam dat locum in peccatis pœnitentiæ, Sap. 12, 19.

Per pœnitentiam consequimur iustitiam quæ coram Deo valet. Sicut enim peccata nos à Deo dividunt, Esa. 59. v. 2. Ita per pœnitentiam cum Deo unimur, ut verè dicere possimus: In Domino iustitiæ mex, Esa. 45. vers. 24.

Per pœnitentiam adipiscimur spiritum sanctum, Act. 2. v. 38.

Per pœnitentiam exauditionem precum

nan-



nanciscimur. Hæc est fiducia, quam habemus ad Deum &c. 1. Joh. 5. v. 21.

Per *pœnitentiam* accipimus liberationem, vel ad minimum levamen, in temporalibus pœnis, ut Ninivitarum exemplo constat, Joh. 3. v. 10. Idè ipse Deus ait: Repentè loquar adversus gentem &c. Jer. 18. vers. 7. 8.

Per *pœnitentiam* potimur tandem vitâ æternâ, non quidem *ratione meriti*, sed *ratione medi*, quia medium illud est à Deo ordinatum, per quod bona sua nobis promittit, *unicè propter Christum*, quem peccator pœnitentiam agens, verâ fide apprehendit. Fides enim est quasi *anima pœnitentia*, & quicquid non ex fide est, peccatum est, Rom. 14. v. 25.

Idè pœnitentiam nobis fideliter commendatam habeamus, ne desperemus, si ex infirmitate humanâ, delicto aliquo præoccupati fuerimus, sed in tempore rescipientes, de admissis peccatis doleamus, & Christum, qui peccata nostra expiavit, verâ fide apprehendamus, sic ille miserebitur nostri,

mundabit iniquitates nostras, & projiciet in profundum maris omnia peccata nostra, Mich. 7. v. 18.

-- Si pœnitet, haud nocet error.

Si impius egerit pœnitentiam &c. Ezech. 18. vers. 21.

S. Ignatius memorat, quod peccatorum cum desperatione conflictanti, Christus apparuerit, qui ostensis ei vulneribus, dixerit: Ecce desperatione te perditurus es: ecce! hæc vulnera propter te accepi, & si hæc non sufficiunt, adhuc semel pro te moriturus sum.

Idem animus adhuc hodie Servatori nostro est, in omnes peccatores, qui seriâ pœnitentiâ ad eum redeunt: propterea nemo desperare debet, licet peccata sua sint velut arenæ maris. Verum enim manet, quod Paulus ait: Ubi exuperat delictum, ibi exuperat gratia, & sicut regnavit peccatum in mortem; ita & gratia regnet per justitiam in vitam æternam, per Jesum Christum, Dominum nostrum, Rom. 5. ult. Cui sit laus & gloria, in secula! Amen.

## Dominica XII. post Trinitatis.

*Evangelium Marc. 7. v. 31. — 37.*

### EXORDIUM.

**C**Um Deus ter Opt. Max. universam hanc mundi machinam absolvisset, valdè id ei probatum est: Vidit enim Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valdè bona, Gen. 1. 31.

Quando præclarum illud miraculum, quod Christus in *μικροβόλον*, videlicet in furdo & muto, tanquam magister sanationum patravit, intuemur: illud eodem ferè encomio concluditur, dum populus sum-

mâ cum admiratione in hæc verba erumpit: Omnia bene fecit, & surdos fecit audire, & mutos loqui.

Hoc ex re & vero Christo competit. Quemadmodum enim quoad divinam naturam cooperatus est, in *creatione*, & cum Patre & Spiritu sancto, totam hanc universitatem ex nihilo produxit, ut dictum fuerit: Omnia valdè bona. Unde dicit: Pater meus operatur, & ego operor, Joh. 5. 17. Sic

R r

etiam